

**PURPURATA  
INNOCENTIA;  
DIVA  
CATHARINA  
PHILOSOPHORUM PATRONA,  
MARTYRIO CANDIDA,  
INNOCENTIA RUBICUNDA;**

Publicis Sanctæ Parthenosophæ Solemniiis  
Panegyrico Academico

*Coram Senatu, Populoque Academico Casarea, Re-*  
*gioꝝ Univ. tr̄s: Carolo-Ferdin: Pragensis celebrata*

**IN BASILICA SALVATORIS**

*Collegij Cæf: & Academicici Societatis JEsu ad S. Clementem.*  
SUB RECTORATU

*Pranobilis, Generosi, Clarissimi, ac Consultissimi Viri*

**D. JOANNIS WOLWERT**

*De Neffe, J.U.Doctoris, Sac. Cæf. Reg: Maj: Consiliarij,  
in Celeber: Univers: Carolo-Ferdin: Prag: SS. Canon: Profess: Regij, Publ:  
ac Ordin: Inclytæ Facult: Juridicæ Senioris, Almæ, Cæf. Reg: Univer: Ca-  
rolo-Ferdin: Pragensis p. t. RECTORIS MAGNIFICI.*

*Oratore, Pranibili ac Erudito Domino*

**FRANCISCO PARAUBEK, Bohemo Pragen: AA.LL. &**

*Phil: Baccal: Metaph: & Eth. Auditore.*

*Anno 1705. Mensē Decembri, Die 1.*

---

**PRAGÆ, Typis Universitatis Carolo-Ferdin: in Coll: Soc:  
JESU, ad S. Clementem, Anno 1705.**

HONORI AC VENERATIONI  
ILLUSTRISSIMI  
<sup>A C</sup>  
EXCELLENTISSIMI  
DOMINI DOMINI  
MAXIMILIANI  
N O R B E R T I  
KRAKOWSKY,  
SACRI ROM: IMPER: COMITIS  
De KOLOWRAT,  
Domini in Teynitz, Janovitz, Desche-  
nitz, & Bieschin, Sac. Cæs. Reg: Maj: Intimi  
& Actualis  
CONSILIARII,  
CAMERARII,  
REGII LOCUMTENENTIS,  
MAJORIS JUDICII ASSESSORIS,  
Et Supremi in Regno Bohemiae  
CAMERARII,  
Domini Domini Gratosissimi.



# ILLUSTRISSIM AC EXCELLENTISSIME DOMINE DOMINE C O M E S.

**L**AUREATAS PURPURATE INNOCENTIA IN DIVA PARTHENO-MARTYRE CATHARINA TRIUMPHANTIS VICTORIAS PANEGYRICO VULGATORUS, nullis, equiore titulo, quam sub Tuis, ILLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME D. D. COMES, AUSPICIIS ROSTRA CONSCENDO ORATOR. TUIS NAMQ; JURE QUODAM DEBETUR OBSEQUIIS CATHARINAE HONORI SACRATA IS THAC MEA LUCUBRATIO: DUM EXCELLENTISSIME FAMILIA TUA, SEU PROGNOSTICAM, SEU COGNATAM & ASSYMBOLAM DEVERNEROR CATHARINAM: UT HAC KOLOWRATE & STIRPS PRIMA TUTELARIS, & KOLOWRATEA FAMILIA SIT CATHARINÆ CLIENS DOMESTICA. ESTILLA RECONDITORIS SCIENTIA PALLAS INTER MUNDI SAPIENTES: EST TUA EXCELLENTISSIMA STIRPS SAPIENTIA, & CONSILIJ PALLADIUM INTER PRIMOS AUGUSTISSIMI BOHEMIA REGNI PROCERES. ESTILLA RELIGIONIS INVICTISSIMA VINDEX: EST HAC AB IPSIS EXORTUS SUI CALENDIS ROMANE FIDEI COLUMEN & TUTELA. IDEM DIVINE PARTHENO-MARTYRI, & ILLUSTRISSIME FAMILIA TUA EST INSIGNE. ADSTERNITUR ROTA PLANTIS VIRGINIS: GEMELLA quoque in GENTILITIO TUO REFULGET CLYPEO. PAR UTRIQUE DECOR & PRETIVM. EST ROTA CATHARINÆ FELICIORIS FORTUNÆ GERULA: EST & TUA GENTILITIA GLORIA BAJULA.ILLA IN CAUSA NUMINIS CRUENTÔ, IMÒ LACTEO PURPURISMÔ RUBESCIT: TUA FUSO PRO DEO, REGIBUSQUE SANGUINE, & SUDORIBUS INAURATUR. ULTRAQ; POST EMENSA LABORUM OLYMPIA TERRAS PEROSA, CALUM VERSÙS ORBITAM DESCRIBIT: & QUA CATHARINAM EMPYREO INVEXIT: EADEM TE, MAJORESQ; TUOS AD AUGUSTUM HEROUM CALUM PROVEXIT. MAJORES, INQUAM, TUOS, AT QUOT! & QUANTOS! AD CALCULUM NON REVOCO DIGNOS IMMOR-TALI-


*Salibus fasibus Heroas, Atlanteis grandium meritorum bumeris,  
Et magnarum alarum Aquila pariter Gentilitia remigio Heroum  
Capitolio insertos. Sed temerarij laboris laffarer impendio, si  
seculorum historiam unius pagella epitome stringere satagerem:  
omnesque incensum revocare, qui gloria curulibus in sublime pro-  
vecti Kolowrateo sanguine gloriantur. Vetustam non recolo  
gloriam: in Te unum Illustrissime, ac Excellentissime D. D. Co-  
mes, oculum minimus Cliens reverbero, Et dum CATHARINEAM  
Kolowratea junxi Rotam, triumphale effedium effeci; cui dum Te  
hodie insidentem, Et felicitatem populi suspicio provehentem,  
CATHARINAM Academicò panegyricò celebratam reverentissi-  
mè dedico Honori Tuo una cum de votissimam. Te auspice Inno-  
centia Purpurea instructus panegyricus triumphabit: prove-  
henturque feliciter Orationis, vitaq; mea periodi, quarum pedisse  
quis semper obsequijs Rotam tua benevolentie antcambulam lis-  
cuerit comitari, venerari. Itaque tuo favore, Illustrissime  
ac Excellentissime D. D. Comes, Et meò humillimò roto pergam  
Tuis, quia pro Te, semper futurus Orator, donec ultra temporis  
orbitam, post felicissimum multorum seculorum cursum, que in  
terra Maximis non imparem evexit suam Illustrissimam Excel-  
lentiam, annulo, seu Rota beatae aeternitatis serò adscribat magno-  
rum meritorum, Et gloria bajula Rota Kolowratea, hodie etiam  
Catharinea, Alexandrina, Romana.*

*Ità vovet*

## **Suæ Illustrissimæ Excel- lentiæ**

*Devotissimus & Clientum  
minimus*

**Franciscus Paraubek.**



# ORATIO.

**N**escio, quid etiam hodie varium, & mutabile Megaproteus parturiat Orbis; oriuntur soles & occidunt: Phæbus & Phæbe gemini illi publico aspectabilis universitatis stipendio conducti astrorum comœdi in diffuso siderum amphitheatro alternant; & cùm Sol explicato per irruentem noctem tenebrarum sipario jucundioris lucis professum occluserit, & amœnissimæ diei finierit comœdiā, tum Luna induit cothurno mastissimam noctis orditur tragœdiā, & luctuosæ caliginis succedit funeralia. Insuper minora alia, & toto cœlo errantia sidera, in primo sui ortūs vere, totum exspectationis autumnum explicant, nec ab illis serenitatis præstolare auxilium, quibus jam totum splendoris incrementū in illustres cunas abiit & obiit. Dies cùm pene nascuntur, præmaturo fato tumulat̄ur innocentes. Vesper vespere truditur, Zephyri oppugnat̄ur Aquilonibus, extinctam Cæli serenitatem pluviae deplorant nubes, felices autumni præcipitantur in rigidos Decembres. Brevi: Bafilica Orbis Universitas pusillum novitæ varietatis compendium. Nec minor in minore mundo rerum novitas. Lacrymatur Dacus ad stellarum ortum, plaudit Arabs ad Solis oceasum, deliciatur Democritus in caligine, studet Archimedes in Solis lumine, odit lucem Diogenes in dolio, proscriptit Solon tenebras ē Lyceo. Et verò esset, cur profanæ inconstantia labet temerata, ream tibi sisterem, Senatus Academice, hanc infantis Orbis collactaneam rerum novitatem, & ferreo Periclis stylo subjicerem castigandam, nisi jam dudum asyli defensa jure ē profanatis Gentium delubris, in sacros etiam Templorum penetrasset parietes, & aris supplex affusa, hodieum in San-

etuarii hospitaretur. Vobiscum mihi res est, Salvatoris fontibus bendedicti, Sacrarii hujus parietes, vos percontor: Quæ hæc nova rursus rerū facies? mensis nuper supra unum volvebatur alter ( piget enim secundum dicere studiis nostris tam infelicem ) ex quo in sublimi hac Sanctuarii specula, velut in publicæ calamitatis theatro, Orbi tristissimam, fūnestam regnis & provinciis, universis dolendam tragædiā vidissemus, nisi circumfusæ undique pannorum tenebræ, & nigrescentium peristromatum atror mærentium oculos cæcasset. Vidissemus in ferali illa scena nostrammet, pretiosis ter Magni LEOPOLDI cineribus insepultam felicitatem; atq; ut alia suo in pulvere tumulata non refodiam, vidissemus & Umbriam, & Ægyptum universam, unius parentantis doloris vehe-mentiā in Salvatoris Basilicam compendiari; adeò plenus cæterū ille funalium dies in mæstissimam noctem horrescebat. At enim, ubi amabò hodie parentales lugubris illius pompæ ceremoniæ? adeóne breves sunt populorum amores, ut in lætitiae partem tam subito migret lacrymabilis de Principe dolor, cui lugendo sola sufficiat æternitas? ubi Mem-pheam imitatus pyramidem, funeralis colossus? ubi succedaneis hodie CATHARINÆ solennijs nuper præludens mons ille Sinaiticus? adeò mæstis conterminum nubibus, mortuale castrum Athlete LEOPOLDO, oleum inunctionem distillabat. Ubi denique decumanis luctibus conveniens ille color, mæstumque decolorati sepulchralium cannarum ambitus? ubi, inducto aræ principi opaco, clarificati in Thaboræ montis vertice eclipsatus Salvatoris aspectus? ubi altarium cæterorum fūnesta nox, & luctuosa Sanctuarii totius imago? Evideni metamorphosim novam, nisi profanum vulgus à sacratioribus prohiberetur adytis, Naso hinc rursus describeret, ita dispare colorum formæ hodie ludunt Oratorem. Huc oculos AA. oculatissimi, huc huc in propylæam aræ summæ frontem intentam mentis aciem defigite, Spectate! Cujus est hæc imago? Alexandrinæ Virginis Iconismum loquitur penicillus; stat pro immaculatis focis, & aris dealbatus super nivem lacteæ innocentiae candor, ergo! funesta apage Libitinæ supellex! cedat candori atror! Nōcturno altaris paludamento byssus sufficiatur! Sed & in vos ipsos, quos aræ tantisper accommodâtis, oculos reflectite, Arcopagitæ Academici, Judices Purpurati, etiam augustum illud verticis, ac humerorum vestrorum decus, & emeritum epomidis ostrum Panegyristes sibi vendicat iu-argumentum. Nudam quippe in medium prodire pudeat innocentiam, quam circumfusâ scapulis vestris purpurâ hodie decet palliari. Con-suf-

surget exinde opportuna anaftasi, atque ex ipsis Austriadum Campis, quibus immortuum nuper electum illud frumenti granum mæsti plorabamus, candido-purpureum thema Oratori enascetur. Dictionis scopum de plano accipite. Innocentia Purpurata D. Parthenosopha CATHARINA, Martyrio Candida, Innocentia rubicunda, dicendi argumentum. Si gratiarum tuarum favonijs benignus adspiras Magnifice D. Rector, si & vos patienti benevolentia frigidum Oratorem confovetis Spectabiles Decani, Eximij, Clarissimi, Excellentissimi, Doctissimique Sapientia Praesides & Professores, Tūque imprimis Inclita Doctissimaque Facultas Philosophica, stabit paradoxum, quod candorem inter & purpuram molior in CATHARINA connubium, Innocentia purpurata triumphabit.

Sociare ignibus lymphas, vallibus excelsa alpium insternere juga, astra miscere terris, summi Architecti summa Magisterij: Ex pumice, torquere fluenta, ex Marpesia prolicere oleum, ex absynthio distillare ambrosiam, miraculorum est epitome: Ruborem languescere in candorem, pallorem effervescere in sanguinem, in pusillo innocentie gremio adolescere purpuratam majestatem, prodigium est in compendio. Si CATHARINA Martyr est; rubet Martyriō, non candet: Si Alexandrina Virgo est; cendet innocentia, non rubet. Unde sit Martyriō candida, innocentia rubicunda, propè ignoro. Purpuram jungere candori, candorem despansare purpuram, hoc opus, hic labor. Nec ferè hac arte pollere credemus alterum, quam qui divinum fortitus aliquid, ea in unum copulare didicerit, quæ perpetua lege à se distare amant, atque pugnaci cognatorum odiorum antipathia nunquam non separari. Rideo imperitam Mythologorum audaciam, qui rudi nimirum figmento, cum astra confunderent Erydanis, & monstris Cælos efferarent, ferentem Cæli faciem obscurârunt magis quam illustrârunt. Hos moliminis ardui plenos ausus infâcunda vulgi non parturit ignavia, hanc discordium rerum concordiam, hos pugnantis affinitatis nexus plebeja non junget industria, qui aut divini sunt, aut participatae divinitatis communione nobiles sunt heroum partus. Ab injecta heroum memoria, ad quem rectiori tramite accedam? nisi ad Te Heroina invississima, Virgo in Martyrio Candida, in Virginitate Purpurata Martyr CATHARINA: huc illustres curas historici, huc penicilli, huc tabulae; purpuram, non sepia, candore, non rudi atramento, purpureo-candidus nexus æternitatis annulo inscribatur. Illimem innocentiae candorem suis canceller laudibus Elogistes Parthenius, Martyrii etiam præconia paginarum medicis coarctet

angustiis purpurati Dalmatæ Laconismus, non succenseo. Unum istud nec secula digerent, nec adultæ ferre poterunt ætates, si virginali candori, innocentia connubio conciliatum Martyrii purpurismum æternitati scribere effrons penna erubescat. Quanquam quis non erubeat purpuratæ innocentiae encomia? ut ut verboso alias eloquentiæ apparatu vel delibare tantum, quæ dudum in una, quam geminus lactis & sanguinis liquor coalere fecit, gutta, velut in latè diffuso oceano, & Lycurgi in dicendo robur, & Theophrasti elegantiam, Isocratis venustatem, amænitatem Pisistrati, Platonis mella, Theopompi majestatem (& quis omnes eloquii fontes aperiat?) mersisse videatur. Ergo obmutescant calami, inventorum ludibrium abeant leves pennæ, pro purpurata Innocentia Alexandrinæ Virginis, vita ex altero alterum contexat argumentum.

Et primo quidem illucescentis rationis in limine talis nobis occurrit, qualem ex tantis natalibus sperare quidem poterat Christianus sapientum Orbis, non tamen habere aut Concivem Alexandria, aut Magistrum fidei obstinata Maximini impietas merebatur. Nec caput proferre poterat CATHARINA ad vitam, nisi simul ad lentam incruenti Martyrii mortem, ad quam persenticosum Dialecticæ iter, jam tunc severioribus assveta disciplinis gradiebatur, illud porrexisset. Simul illam Lucina infantilibus crepundiis, ac fasciis exuit, simul illam Libitina mortis contemplationem docuit per Philosophiam. Nec orbem aspicere potuit, nisi simul in se sobolescente adhuc, jam adultam Philosophiam & videret & miraretur. Infantile cerebrum, cum sapere vixdum didicisset, jam maturum ad coronas ab ipsis adeò incunabulis eloquentiæ prodidit Reginam. Ità idem fuit nasci Martyrem, quod CATHARINAM, Enimvero acto vix vitæ Tirocinio tenellum caput continuò per primum ætatis florem in magnæ mentis augustal excrescens, sinè cruentí quidem, non tamen capitalis Martyrii tortura in immensam profundissimarum cogitationum officinam instruebatur. Jaçtate olim, per me licet, depilata 50. Sophorum Capita, in unicum hoc candidæ Martyris caput fallicium Sophismatum tela, texite nodos in Alexandrinam Virginem etiam Gordios, construete laqueos, implicate replicas, totumque in obruendam spe velstra imbellem solidissimarum rationum apparatum expedite! deridere Sophismata, evolvere nodos, enodare gryphos, evadere laqueos, explicare replicas, dissolvere singula, diruere omnia, jam inter cunarum fascias studiosa Martyr didicit CATHARINA. Et jam quis credat!

nisi

nisi fidem negare etiam maximis, infidelitatis foret maximæ, 50. Gra-  
canicæ Sapientiæ succollatores Atlantes uno Alexandrinæ Heroidis Achil-  
le dejecti, Virgini accident in trophæum. Debent tanti fortunata sa-  
lutis suæ auspicia Tantillæ, debet illa actos de tantis triumphos, quos  
cana etiam ignorârunt secula, uni juvenilis cerebri Martyrio, debet Ale-  
xandrinam victoriæ studiosis frontis suæ sudoribus, quos jam tunc in-  
Tantorum salutem, olim Martyriô purpurandam, ipsa adhuc Martyr  
Candida velut eminus propinabat.

Sed quid adhuc etiam cunarum involvori fasciis? assurge calame! à doctis curis, à teneris fasciis, ad rigida vincula, in carcerem festinabis. Unum hîc pro Candida in Martyrio Viragine, si tacerem argumentum, mœstum adgemerent turtures, columbae complorarent. Innocuam om-  
nibus, uni tantum nocentem sanguinario Maximini furori CATHARI-  
NAM cruento fato' servabat carcer; Hîc primùm minis torquet in-  
nocentiam Tyrannus, ut timore pessumdet, priùsque impugnet mentem  
Martyris tristissimâ tormentorum memoriâ, quam partheniam vitam ex-  
pugnet cædibus: Circumvallat futurarum calamitatum exercitu, &  
vivacissimo quatit intentandæ mortis ariete, arctissimâque venturarum  
miseriarum cingit obsidione, nova semper sibiique succendentia ostentat  
tormenta, quibus succumbet, nisi impiis obsecundet imperiis. Sed stat  
Candida in hoc Martyrio Innocentia, & sinè tristitia nubibus amænam  
frontem aurea explicat serenitate; candorem pectoris inquiline nullus  
timor perturbat, nullus exturbat. Cum interim judiciarius Impiorum  
confessus sanguinem sistit innocentem; arcuantur in supplicium rotæ,  
ipsa imò insanientis Maximini Tyrannis durescit in chalybem, rigescit in  
lanceas, exsurgit in cruces, accenditur in flamas, livescit in virus, in  
scorpions animatur; totus horrenda metamorphosi abit in furem Maxi-  
minus, totus vertitur in Megæram: fera rabie pectus intemescit, dilata-  
tis spumat labijs, anhelum trahit ex ore spiritum, compressis stridet  
dentibus, & violento impetu deartuata, trementiâque præcipitat verba,  
qua non priùs furor in gutture penitus præfocavit. Scintillat oculis,  
sanguinolentis ardet genis, trucibus frontem minis exasperat, surgenti-  
bus inhorrescit capillis, truculentum jactat caput, currit, recurrit, lucta-  
tur, sibiique ipsi reluctatur; volant undique tumultuosâ verborum tempe-  
state excussa indignationum fulmina, & confragoso fremitu in innocen-  
tes CATHARINÆ aures delabuntur. Quid amabò tanta irarum tem-  
pestas, nisi eladium fulmina procudat. Conclamatum est; aut suam

posthac gestare purpuram erubescet; aut Catharinæum liguriet sanguinem Maximinus. Ast non feriunt innocentem Lauri fruticem bruta fulmina, rubori tuo, non cruento Virginis Martyrio sanguineum paras balneum purpure carnifex Maximine. Nullum jus sanguinis in innocentem, quæ sanguinis jam dudum expers, candidum materni lactis succum, alimento non commutavit altero, quam quod nutrices columbae, inter rigidiores compedium fascias, velut in secundis Martyrii cunis sollicito passu suggerebant. Ergo age! CATHARINA progredere! quò Innocentiam tuam provocant Viri sanguinum; ibis non ad cruentam Martyrii purpuram, quam expalluisse in Te videre poterant Gentiles noctuæ, nisi præfulgidum candoris tui serenum cæcūtientium aspectum amplius perstrinxisset. Candidissimum columbarum omen, etiam inter sanguinarios enes candidum agonem pollicetur. Progredere, novum datura Orbi spectaculum, ubi cum purpura in certamen descendet candor, & triumphalis byssus, è purpurato Martyrii Campo simul ostrum profligabit, simul lacteo diademate vincentem coronabit. Et en! jam fatalis tuba altô suspendit silentiô effusum ad spectaculum vulgus, decretamque luctaminis horam furiosus intonat buccarum rubor, stat cataphracta innumerabilium Capitum phalanx, qualem aut optâset Hannibal, aut æmulam expavisset Alexander; una omnium, an militaris, an brutalis, ambiго, cruenti oris tessera: Sanguinem! Sanguinem! Quid CATHARINA? an rubore decolorat vultum? maximam sibi suam decanter Plautus: Res salva, erubuit! expallescit imò hæc inter CATHARINA, res salva, expaluit! niveus genarum pallor candidi Martyrii omen syncerissimum. Date veniam purpurata Martyrum agmina, nemo vestrum hac Virgine gloriosius Martyrium iniit, cui non nisi per lacteam liliorum seriem, Martyrii trames insternitur; quidquid viarum terit, consecratque virginalium planitarum vestigiò, in subitum lilium albescit; nec terra est, cui triumphalem imprimit gressum, sed nova in terris Galaxia. Sed enim, quid ferrum ultrà cohibemus. Spectatores? intenta ictum, cruenta manus! pro sanguinis rivo, quem inflammata Maximini sistit rabies, ex illimi Virginæ corporis scabre lacteos tandem fontes extunde ferrò. Et verò jam cecidit, quæ nec gloriosius stetisse poterat, à primo ætatis flore nunquam Martyrii Candida, nunquam novitia, in vivis & à fatis semper consummata Martyr Candida CATHARINA.

Et mea staret hic Oratio, ubi honoro casu ipsa sibi in arcum assurgit triumphalem, gloria sanguinis debellatrix, nisi ampliorem adhuc Elogio

Iogiorum Campum pro Domo sua aperiret purpurata Liliatæ Martyris innocentia, quæ fati nescia, etiam post funera perorat. Mecum si libet cogitatibus vestris AA. in Campum Catharinæ Eloquentiæ descendite, ut quam dedi Martyrio Candidam, etiam Laconicô passu Innocentia prosequar rubicundam. Integer hinc, quem aulae Maximini universa infudit Græcia, Rhadamantorum confidet Exercitus, tetrici vultus superciliõ, stoicæ torvitatis pleno, unam intuetur ex adverso æmulam censoria illa Platonici ævi posteritas. Hinc in illibatam Virginis Innocentiam, impudici totius aulæ effunduntur oculi; cogitate! quis tunc Liliatæ frontis rubor, quæ candidissimi pectoris comotio, quis innocentis animi sensus? didicisset ex purpurato hoc vultûs, & rubicudo illibata mentis aspectu secundiūs fingere Apollo, adeò suffusus rubore candor genas temperabat. Trepidate depilata Sophorū Capita! vel ad solum muti adhuc oris intuitus, jam erubescit innocentia, oris fulmina expavescite! vehementius nunquam peroravit Innocentia, quām ubi incensi sanguinis rubor, non verba, sed jacula subministravit. Nec est quodd svadæ ejus, quæ rapidissimi fluminis instar decumanos argumentorum & fregit insultus, & impetus prostravit, tenui eloquii stillâ insectari nitar, quando jam dudum Orbi locuta fateri coëgit etiam sapientes, quod

nec dignius unquam

Majestas meminit sese Romana locutam, *Claudianus.*

Tuam ego hic, coronatum Majestatis monstrum, Maximine, purpuram appello, quæ tunc primum nativum exuta ruborem, pallore excanduit infami, cùm in te tanta dicendi libertate, sceptris indignam Idolorum servitutem, sacri furoris incensus æstu Innocentis Virgunculæ rubor, increpabat. Age, age! quod actus in furorem svadet pudor, fatalis scena acuatur in pectines, globetur in grandines, horrescat in ungulas, asperetur in serras, ardescat in fulgura, lapidescat in fulmina, fulgura, tonæ, fulmina, Maximine! satis ad triumphum est, Innocentiam rubuisse. Celsum Elogi apicem victorioſo triverbio inimicis insultare labaris Carolo amplius non invideat Orbis; non homine uno, ferreâ armaturâ partus hic labor est. Ast unicō, sacratiore irâ rubescens Innocentia verbō, ceu fulgetrō, aheneum tyrannidis pertundere pectus ad ruborem, hoc demum est elogiorū omnium transcendere apices, & vel invitum invidentis animi livorem in Encomiasten provocare. Verum non ita rubet CATHARINA, cùm facunda est, ut non, tacendo etiam, pro purpurata sua Innocentia vocali silentio peroret. Maximinus, quam rubentis oris eloquio fulminans,

magis,

magis, quam perorantem ariete nullo expugnare valuit, non jam minarū spiculis horridus, sed comptis instructus regiorum favoniorum illicijs silentem pericitatur. Opulentas regni Gazas, parum est! quidquid sive ad pretium, sive ad luxū Majestatem serenioris fortunæ vultus plenō Tagi Gangisque profundit alveō, numeranda aurō temporum momenta, notandas gemmis horas, Erythræo innatatos spondet Soles, ut Liliatum. Catharinæ Innocentia candorem suæ purpuræ desponset. Una, una in votis CATHARINA, regalibus non amplius prohibenda obtutibus, sed folio locanda augustali, si conubialis modò fœderis sacramentō, sponsalem fidem amoribus litaret Maximini. Quid agat hæc inter CATHARINA? ad honores, ad augustas Regum trabeas nemo testudo est, præceps ad sublimia quæq; ambitus est, volubilis fortunæ rota Cunctatores aut Lētulos non admittit, rotantur alij non eunt ad diadema, ad cæcum illud Numen cæco plerumque curritur impetu. Eja Atalantam indue CATHARINA! ad aurata, quæ in fortunam tuam jacetat Maximinus Imperij poma, pro-curre! Sed enim ad Appiam honoris viam stat in elingvem petram purpu-rata CATHARINÆ Innocentia, & solo adhuc illibati vultū facunda ru-bore, simul impudentis Tyranni audire sponsa erubescit, simul silentio-sa oris verecundiâ verba intercipit Oratori.

Ad Te nunc stylum erigo, qui myricarum more per ima reptavit hactenus, inclyta Sapientum corona, Almæ, Cæsareæ, Regiæque Universitatis Carolo-Ferdinandeæ Senatus, Populéq; Academice; Martyriō Candicam, rubicundam Innocentia D. Parthenosopham CATHARINAM, detritis verborum coloribus adumbrare ausus Orator paradoxus, desideria irritavi tantum, non extinxi, unō hoc dignus elogiō: non purpuratam Innocentiam, sed innocentem  
Oratorem rubuisse.

D I X I.

